SATURA MEDICA
AD
FELICEM PRAXIN CLINICAM
DUCENS
ET IN PRIMIS
NATURAM MEDICI MAGISTRAM
TRADENS
QUA
DEMONSTRATIONES SUAS ANATOMICAS
INDICIT

JOH. JACOB. HUBER
PHIL. ET MED. D. ANAT. ET CHIRURG. PROF. POTENTISS. REGIS SUECIAE ATQUE LANDGRAVII HASSIAE CONSILIARIUS AULICUS ET ARCHIATER. AULAE BADEN. DURLAC. MEDICUS. ACAD. CAESAR. LEOPOLD. SOCIUS.



CASSELLIS
TYPIS HÜTERI ET HARMES, TYPOGR. AUL.

morbis inveteratis, & corpus diu terentibus procedere. Scire quoque multum intereſt, ſalutaris ne ſit eventu morbus, an vero noxius, ſitne primarius an ſecundarius. Eadem omnino cautione opus erit in morbis iis, ubi per transpoſitionis regulas, quod haud raro evenit, morboſi quid ex gravi morbo praegreſſo depoſitum fuerit in viſcus aliquod, vel in corporis partem aliam, irritationem ibi, dolorem, verbi gratia, arrthriticum aut cephalicum inveteratum; aut durantem tuſſim, uti ſaepius obſervatur, moleſtam quidem aegroto, non ſemper vero periculoſam; aut adverſi aliud quid excitans. His ſub rerum circumſtantiis caute abſtinendum quoque erit & a generalioribus huic illive morbo opponendis remediis, & a fortioribus: & niſi mitioribus ſublevatus obſervatur aeger, ultra quid tentare moleſtum haud raro, niſi funeſtum erit. Ego quidem experientia & uſu magis, quam rigidis artis regulis doctus comperi, tales ſubinde ineſſe corpori malos humores poſſe, hinc inde pervagantes; & modo huic parti modo alii inſidentes, vimque ſuam ibidem exſerentes, & debilioribus quibusvis partibus firmiter ſatis inhaerentes, easque vexantes: quos tamen corrigere omni conatu medico, vel excutere e ſede ſua, ſatis etiamſi cardinali, conſultum non fuerit. Podagricos adeo inſultus vidi, cavum pectoris infeſtantes, ac difficilem & valde impeditam adeo cum punctorio dolore reſpirationem inferentes, qui remediorum farragine diſpellendi non videbantur, neque vi in ſua loca, extremitates nempe, dirigendi, cum mitioribus cedere nollent. Optime tamen res proceſſit, & blandiſſimis, quin vix ullis tandem remediis mitiora facta ſunt, Dei virtute, ſymptomata, & aeger (uti e plurimis unicum modo afferam, ad mitiorèm in rebus altioris indaginis ac delicatioribus medendi methodum firmandam, exemplum) praeter anxium vitae regimen, aëre & amicorum conſuetudine poſt graviores primos inſultus utens libere, & negotia curans graviſſima ac frequentiſſima, priſtinam tandem, quod vehementer gaudeo, recepit valetudinem ſecundam.

Quo debilioris erunt atque ſenſibilioris aegroti texturae, & quibus univerſum ſyſtema nervoſum irritationibus erit magis obnoxium, eo inprimis etiam cautius tractandi erunt iidem. Fit inde, uti ad generales regulas artis referri virginum ac mulierum morbi, quibus infantum addi poſſunt morbi, nequeant. Singularem enim merentur attentionem, & in iis praecipue morbis abſtinendum ſubinde eſt ab iis etiam remediis, morbo ceteroquin accommodatiſſimis, quae nervis ſunt inimica: cum his amica magis conducant, atque antiſpaſmodica. In univerſum quam poteſt mitiſſime procedendum. Scimus, ſuccinata, camphorata, caſtoreata, e lumbricis praeparata, & antiſpaſmodica, & hoc genus alia, ſat parca doſi ſumta, gravia haud raro mitigare ſymptomata, ipſosque adeo tollere morbos. Certe neque evidentem acrimoniam neque viſciditatem humorum corrigere poſſent tam brevi ſpatio, & tam parca doſi ſumta. Patet inde, autumo, mitigatis nervis ſolatium non minimum attuliſſe Medicum per dicta remedia, & reliqua mala facilius in quam multis, ne dicam in omnibus, morbis tunc ſuperari. Sedatis nervis ſanguinis quoque motus nimius plerumque ſimul moderabitur: non autem contra. Quod ad hunc ſanguinis motum excitatum nimium, ac auctum attinet, & ratio me & frequens experientia docuit, rarius illum nitroſis medicamentis ſedandum eſſe, quam fieri a quibusdam ſolet. Iis enim, ſive ſit ſpiritus nitri dulcis, ſive nitroſa alia, intempeſtive datis, ſaepiſſime motus naturae ſaluberrimi refrenantur, ne congeſtos humores, funeſtae adeo ſtagnationis ac inflammationis nuntios, diſpellere, ne infringere humorum depravationem, vel etiam ſecernere excernereque valeant moleſtum. Quando enim promiſcue propinantur, ſine reſpectu ad criticos dies, ad nervorum irritationes, ſive ad naturae conatus bonos alios, proſpere cedere non niſi caſu poterunt fortuito. Motu enim ſecretiones & excretiones humorum promoveri, nemo ignorat. Quando jam reſolvenda ſunt ſtagnantia, vel excernenda ſuperflua, aut noxia, quae maxime deſiderantur in morbis plurimis, adjuvandi tunc erunt magis motus humorum, quam refrenandi:

frenandi: etiamsi modum paululum excederent. Et nisi subinde praestantior esset arte natura, & Medico cautior, exitus morborum pluries funestos experiremur. Si quis obortis, verbi gratia, capitis doloribus, cum febrili sanguinis motu atque siti junctis, opponere mox nitrosa, antequam magistri sui, id est, naturae inclinationem ac scopum intenderit, vellet, certe plus damni quam boni praestaret: maxime si coryzam molientis naturae medicatricem opem, praematura & aliena medela refrenatam postea, sed sero nimis, intelligeret: quam dein omnis Medicorum chorus procurare aegroto minime poterit. Quas enim vel coryza, vel catarrhus, vel evacuatio salutaris alia suppressa producere turbas valeat in oeconomia animali, neminem facile fugit. Hoc insuper de nitrosis, quae bona & satis commendanda ceteroquin sunt remedia, quando caute adhibentur, monendum habeo, ipsam adeo sitim atque calorem sine ullo nitrosorum auxilio tolli, sublata causa morbi, saepius solere, & mitigatis nervorum insultibus. Quas nervi excitent turbas irritati, praeter signa alia pulsus quoque sat prodit debilis ac saltans: qui contra plenus sit, durus, ac celer, si quando excitaverit motus nimios plethora, aut aestuans sanguis. Exemplo nobis sint hystericae passiones, & spasmodici affectus alii, multique irae aut animae passionum aliarum effectus; nec non horum morborum remedia.

Attento in universum oculo sequi naturae molimina in morborum cura convenit, ejusque inclinationes etiam in appetitu singulari. Ita rigidos nos artis & regularum tutores praestare tunc non convenit semper, quando de aegroti appetitu, rei interdum sat incongruae decidendum erit. Perpendendum tunc est, eandem esse, quae aliarum animae functionum etiam appetitus singularis rationem: ea nempe, quae cum voluptate fiunt atque cum cupiditate, procedere optime. In eo itaque etiam magistram sequi Asclepiadei filii naturam debent, nisi illius functioni derogare, & noxia quae esse videntur sua natura, quo minus fiant salutaria, impedire malint. Miros sane appe-

 titus,

titus, perversos etiam, allegare, sublatorum feliciter morborum exempla liceret. Patere inde porro videtur, quod aliunde etiam constat: in debilitate stomachi quaerendam non semper esse rationem, si appetitus depravatus vel prostratus adeo percipitur, sed haud raro in defectu humorum secernendorum, ad digestionem facientium: cum cibus cum aviditate captus, isque digestionis per se difficilioris, stomachum, debilem habitum haud raro restituat: quod lenia juscula, atque gelatinae variae, & cibi facilis digestionis perficere non valuerant. Ratio in eo quaerenda tum erit, quod his cibis languidiores reddantur secretiones: illi vero easdem excitent, nec raro viscidum ibi haerens stimulo suo corrigant, & e corpore eliminent, vel & obstructa resolvant vascula. Marina omnia esculenta prae primis concedenda esse aegrotis, & debilissimis adeo, appetitu singulari desiderata, multiplicem experientiam testem habemus.

Pauca modo decerpsi ex universo praxis clinicae ambitu, sporadica quasi: uti exili illa particula ob oculos aliis, artis etiam non consultis, si legere ista dignentur, ponerem, quam sit illud studium prolixum, quod circa hominum naturae particularem seu individualem cognitionem, & circa regulas paucissimas felicioris praxeos versatur: quam sit aegrotis salutare, extemporaneum habere Medicum, qui decedere a regulis iis sciat caute, & ex cognita singulorum morborum ac aegrotorum vera indole fiducia quadam mederi. Discimus multa in scholis & ex libris de causis morborum multiplicibus, de ratione symptomatum, de curae indicationibus, de rationibus curandi diaeteticis, pharmaceuticis, & chirurgicis. At vero parum bonae frugis expectandum erit ab iis Medicis, qui etiamsi hisce sat probe sint inbuti, destituantur tamen objecti, in cujus gratiam medica ars omnis excolitur, cognitione; ignorent structuram hominum, atque indolem & naturam singularem. Idoneum ad aegrotos accedere illum demum Medicum, puto, qui oeconomiae corporis humani cognoscendae probe studet, ac sedulo explorando non ignorat quae ibi peragantur. Sola curiositate teneantur

neantur in rimandis atque explorandis visceribus corporis humani, quibus aut sua voluntas aut alia ratio provinciam illam tribuit. Meum puto, omnem laborem illum in praxin medicam conferre, illi accommodare, & ita bonam frugem elicere, exoptatamque taediosi laboris illius messem colligere.

Quando hic sumus, alia quoque veri ac boni Medici requisita, atque officia attingere animus est. Ille mihi inprimis magnus erit Apollo, qui opportune dando medicamenta adaequata; vel relinquendo, dictum supra in modum, curam naturae nisibus; dirigendo perversos eosdem; vel novos excitando motus correctorios ac expulsorios; vel refrenando nimios, irregulares ac perversos; depellere morbos, sanitatem restituere scit ac servare. Quo vero quisque propius cognoverit aegrotantium aeque ac morborum diversitatem, eo pervidebit melius, quam sit anceps universus curandi modus atque prolixus; videbit idem quam sit incautum, nisi plane temerarium, ea in rerum prolixitate in pharmaca aliquot, aut aliorum in formulas jurare; vel & sibi quasdam, vel proprias vel ab aliis mutuatas seligere, quibus tamen adaequate uti, vel ab iis decedere, vel addere iisdem, aut detrahere nesciat: iisque adeo sine discrimine uti, & individuis omnibus propinare velle. Frustra provocant, si qui tales sint, ad experientiam. Haec sic demum magistra esse potest, quando quis, doctrina valens, studium illud, aegrotis serio consulendi, sibi sumens praecipuum, probe semper attenderit ad aegrotantis aeque naturam ac ad morbi veram indolem, decursum atque exitum; qui & discrimen noscat, quid ars boni vel mali praestiterit in unoquoque aegrotante, quidve natura. Haec nisi quis dijudicare vel velit, vel valeat, nullius ipsi, longe vero minus aegrotantibus, usus erit praxis clinica, prolixissima quamvis & longissima.

Caeterum in sedulitate observandi, qua proprie colligitur experientia, opus est ut adjuventur omnibus modis Medici aegrotantium inprimis, adstantium, ac curatricum officio. Ut

Medici eſt, ſapienter quaerere de ſingulis: ita ceterorum vere & ſine diſſimulatione reſpondere, verbi gratia, ingenue profiteri aegri debent, quid corpus vel animam premat; quae vis irruerit; & ſic, quoad cognitum erit iis, primam mali cauſam, vel tamen occaſionem indicare. Medico porro renuere in datis regulis non debent, ſed fidere illi, & cui ſemel ſe commiſere totos ſe tradere Medico, non autem modo hunc arceſſere, modo alium. Ne medentibus pluribus, diverſa unoquoque ratione, diverſas in partes ac alterationes jactetur aegrotum corpus, & ſcopus atque opportunitas recuperandae ſanitatis ſic temere praetereatur: fiatque, quod olim infelicis ſepulcro inſcriptum eſt: multitudine Medicorum ut aegrotus pereat. Sibimetipſi tunc nocebunt aegroti, & Medicorum omnium attentionem ac ſedulitatem vel avertent vel reddent irritam. Quo enim obtentu, eam ſedulitatem uti adhibeat, exigendum erit a Medico, qui ſciat non ſolis ſuis remediis morbum impugnari; ſed interdum vix vigeſimam remediorum, quae propinantur, partem a ſe eſſe praeſcriptam. Tales aegroti, vel adſtantium officioſi nimis homines, ſibi ſuisque maximum afferunt damnum, & multiplex. Quando deinde in graviori malo, & inſtante periculo vel aeger, vel adſtantes alium inſuper, vel plures, qui a conſilio ſint, deſiderant Medicos, quo junctis viribus morbus impugnetur, non modo reſiſtere non decet Medicum ordinarium ſalutari ſibi & honorifico in ſe tali conamini, ſed ſi ſapit, primus eſt, qui id exigat atque tanquam beneficium expetat ſibi, ſi vel minimum bonae frugis inde expectari poſſit. Aegrotos ſervari non poſſe omnes, nemo ignorat, neque fieri poſſe, ut omnes aegroti ſanitatem aſſequantur, non demum ex HIPPOCRATIS effato diſcimus *. Et tamen naturam, id eſt ſemet ipſum, univerſamque conſtitutionem ſuam, ſui corporis functionum viriumque ſtatum, non facile quis aegrotantium, quin ne regimen quidem vitae ſuae accuſabit: Medicus ergo culpandus erit ſubveniente morbo, nec ſtatim diſpulſo.

Mere-

* Praenot. Cap. 1.

Merebantur tales vicissim, ut frustra fores Medici pulsent: ut excludantur ab auxilio, quod parvi adeo ab ipsis solet fieri. Neque enim officium omne ab una parte esse, ab altera vero, opem accipiente nullam, aequum est. Non dictavit nobis haecce avaritia: gratis offerre & libenter dare pauperibus operam, vir bonus nunquam intermittit, ne sua culpa frustretur illa felicitate atque voluptate, quam consolandi & reficiendi miseros, & graviter afflictos, comitatur facultas. Sed illud, quoniam in hoc argumentum incidimus, publicae salutis causa non dissimulamus: vix est infelicior & detestanda magis solicitudo, suos, qui cari re vera habentur, homines conservandi, quam est ea, quae omnia, palpando velut in tenebris, tentare jubet incautos, & male sibi suisque consulentes: omnes ex ordine consulere Medicos, Medicastros, seorsim unumquemque, nulli fidere & medicamenta adhibere omnium, donec multa remediorum, contrariorum plerumque farragine mire ac multiplici modo vexatis aegris ad ultimum usque halitum, finiatur tandem tragoedia. Quo facto nullum in universo Medicorum choro invenisse se medelam, exclamant; & sic animam ab omni culpa se liberasse contendunt: cum tamen ipsi vere fatum defuncti maturarint. Ea porro in re (pergamus enim, cum semel viam ingressi sumus) sibi suisque haud parum nocent, qui de remediorum natura explorare non modo, sed pronunciare ac decidere adeo temerarie solent. Quo in genere non mulierculas modo invenimus plus quam opus erat solicitas, sed viros ingenii quamvis alias acuti, artis tamen salutaris plane inanes, eosdem tamen de seligendis remediis, ne calida nimis sint, neve alio modo nocere valeant, non sine supercilio inquietos.

Sed dimittamus haec, amplum nimis dicendi campum, sed eundem invidiae valde expositum, aperientia. Hoc fateamur, difficile esse ex universo ac amplissimo medicinae ambitu certum semper eruere ac optimum: & hoc doctissimis quoque viris & longa experientia rationali consumatissimis negotium haud

haud raro magnum facessere. Fateamur hoc, inquam. Quid ergo sperandum & exspectandum putabimus a minus exercitatis, minus doctis, minusque sedulis, vel a medicastris adeo, omnis generis? Quid praestabit chirurgus, quid pharmacopola, (viri alioquin boni, & quatenus artium suarum periti sunt, honore suo dignissimi) balneator, quadrupedum animalium pastor, pastor loci, vetula, carnifex, sive impudens homo alius quiscunque, solis praefrictae frontis praesidiis instructus. Sed contra hos declamare velle nec necessarium est, & inutile. Et tamen jubet officium, cogit humanitas, aliquid adjicere. Commoda valde prae veris Medicis Pseudomedicorum conditio est. Multa enim scire opus non habent: sufficit iis Patronum habere, vel Patronam, auctoritate vel dignitate, vel loquacitate, vel meritis aliis, quibus imponitur aliis hominibus, considerabilem. Tale subsidium veris requisitis omnibus longe interdum potentius est. Talis dein homo haud raro veris Medicis palmam praeripit: modo semel, vel bis sympatheticam curam perfecerit; vel praesagium de morbis dederit (in morem sortilegi illius, in una urbis parte serenum tempus praedicentis, in altera pluviosum) sodam, vel clavum pedis, vel febrim, vel morbum levem alium sustulerit; vel superstitiosi quid praestitisse, & per arcana egisse videatur. Patroni aut Patronae gravitatem assumunt, & aliis obtrudunt se judices, de morbis, de remediis, de medentibus pro auctoritate decidunt, quorum omnium vix nominalem habent cognitionem. Tali modo creatus jam Medicus, in scientiis ediscendis torquere animum opus non habet, sufficit illi audacter morbos nominibus insignire, quibuscunque libuerit. Nihil enim impudenti homini est facilius, quam imperitis & magis etiam a morbo imbecillis fabulas narrare, de nervis laesis, vel in consensum raptis, de fibris, de febribus, de obstructionibus, de humorum circulo, eoque impedito ac perverso quaedam balbutire; visceribus loca assignare quaecunque; partes vocare pro lubitu omnes; & nescio quas demonstrationes facere; de spasmis, de doloribus ac partium sensibilitate longum sermonem facere. Et ita simia pullis concionans,

laudibus

laudibus ab his attollitur, ac docta exclamatur. Modo dein novus Aesculapius adstantium praecipuis, super omnia autem sapientibus matronis, blande sciat assentire; consilia cum iis inire; nec non subinde quaedam pro auctoritate proferre; & jubere adeo; sicque doctum affectare virum atque expertum: optime omnia procedent. Cum sic sedulo adstitit asseditque aegrotis: cum mutavit saepius remedia; pulveres modo propinans, modo pilulas, aliis aliisque formulis cum usus fuit; undiquaque opem ubi quaesivit; venam secari semel vel pluries jussit; clysmata, vomitoria, vesicatoria, promiscue & indiscriminate praescripsit; uno eodemque die plura horum adhibuit; & sic remediorum farragine aeque ac diversitate vitae vires tandem omnes exhausit: tum omnia tentata iterum iterumque exclamabitur; nihil fuit ajunt, in arte, quod servare aegrum posset. Sed difficile est satiram non scribere. Finem imponamus libello, ne longius nos, quamvis justa indignatio provehat. Tantum dixisse, officii mei rationem exigere, cui pro viribus strenue praeesse studeo, putavi.

Cassellis a. d. XXV. Novembr. MDCCL.

